

# OVATIONES<sup>1</sup>

SENATOR PAUL SPYROS SARBANES

Cum in primo libro Tusculanarum disputationum *Laconis illa vox* citatur, Tullius noster non significat—in sensu hodierno—virum paucorum verborum, brevilloquentem astrictumque. Immo describit virum magniloquentiae sapientiaeque, verecundum et gravem, simillimum tibi ipsi.<sup>1</sup> Ex Laconicis parentibus, praebuisti te dignissimum eorum patria natali in serviendo patriae nostrae. Labores tui, causa “terrae liberorum et domus fortiumque,” ad civitatem Mariae Terrae gloriam contulerunt. Electus, ab “urbe legentium,” ad Domum in colle Capitolino conventu nonagesimo et secundo (et tertio et quarto), eminuisti in deliberationibus de rebus iudiciariis, praecipue “Aquae-Portae.” Electus senator ab hac civitate bis centesimo anno rei publicae nostrae, egregius fuisti in curandis rebus non solum externarum gentium et internarum urbium sed etiam in deliberationibus pecuniariis, praecipue “Aquae-Albae.” Alumnus et pater alumnorum Universitatis insignis tigribus, honoratus (more huius Praesidis nostri) inter eruditissimos Oxonienses, factus iurisconsultus peritissimus in ripis fluminis Caroli, favisti studiis classicis in diversis modis: adiuvisisti multis “Diebus Latinis” Horti Collegii, Graecis artibus litterisque, et molimentis tuae doctissimae uxoris in propaganda fide antiquitatis. Plaudamus Senator Paul Spyros Sarbanes.

CHRISTINE DUNBAR SARBANES

Undecimum carmen Catulli, non solum compositum in Sapphico metro sed etiam referens similitudinem memorabilem ex versibus nuptialibus illius praestantissimae poetriae Graecae, adloquitur duos comites. In verbis ipsissimis poetae Veronensis, hi socii sunt *temptare simul parati . . . quaecumque feret voluntas caelitem, . . . sive trans altas gradietur Alpes, Caesaris visens monumenta magni . . . ultimosque Britannos*. Natu Londiniensis, educata in litoribus antiquis Cogidumni regis, adepta gradum Bacculaureae Artium apud Universitatem Oxoniensem, doctrinae monumenta magnae, tu temptare parata fuisti novum mundum, trans altum gradiens mare, relinquens ultimos Britannos. Primum apud suburbanam academiam, vicinam urbi coctarum fabarum et itineri (media nocte!) fabri argentarii, docuisti linguam Latinam; tunc fecisti pactionem memorabilem nuptialem cum praestantissimo viro, Graeci generis, ingenii lanchii, et indolis senatoriae. Magistra sedulissima doctissimaque, studia classica in nostra civitate—sede vexilli stellantis semper fluitantis—fovisti: quattuordecim annos in collegio propinquo huic urbi avium aureolarum, undeviginti annos in academia illustri intra pomerium huius urbis. Sive decoravisti nostram patriam tuis ingeniis voluntate caelitem sive tui, plaudamus Christine Dunbar Sarbanes.

*University of Maryland at College Park*  
CW 89.6 (1996)

JUDITH P. HALLETT  
jh10@umail.umd

---

<sup>1</sup> These two *ovationes* were delivered at the Spring 1996 meeting of CAAS on April 26, 1996 in Baltimore, Maryland.